



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus ad caipham ducitur Art. & Hom. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

rus. quo illum faceret humana fragilitatis expertum, & subinde misericordē erga infirmos & delinquentes. Sexto, quoniam omnes deliquimus, & quam Petrus multo grauius, flere cum Petro debemus ac pœnitere, vt Dominum reconciliemus. Septimò, infirmitatem nostram docemur ante oculos habere, qua ad eòd prouisi sumus ad lapsum, atque prorsus nihil absq; Deo. Non sufficit, si modo voluntatem habeamus bonam: quoniam leuissima tentatione atque auræ statu mutamur. Voluntati igitur tuæ bonæ, tamen si modo habeas à Deo, non innitaris: quia instabilis est nimium, & nisi etiam à Deo roboretur conferueturq; cito periclitabitur. Octauò, quasi digito nobis monstratur, non diu morandum in peccato. Nam si perseueramus, coalescit, validior fit in nobis concupiscentia, spiritus infirmior, diaboli improbitas erga nos maior atq; potentior. Qui enim ab eo semel fuerit victus, nisi per Dominum fuerit iterum liberatus, eiusdem tyrannidi subiectus manet. Qui semel ab eodem captus est, infirmior iacet, atq; contra hunc, virtutem crudelior ē diabolus ostentat. Mora igitur omnis periculosa est in peccato. Tu verò principijs obsta. Cecidisti? coneris mox resurgere. Adiuuabit autem Deus, presertim si petieris, conatum tuum. Peccatum namq; si vnum admissum fuerit, nisi cito per pœnitentiam corrigatur, in aliud mox præcipitat. Non longè petendum est exemplum, apostolus hic nobis occurrit, de quo loquimur, Petrus: qui quoniam primam negationem non cito correxit, in secundam & tertiam quoque ruina mox grauiori cecidit. Melius igitur iuxta Ambrosium foret peccatoribus mori, quam in peccatis diu versari. Augustinus quoque: Audacior est, inquit, qui cum peccato mortali dormit, quam qui cum septem hostibus de morte sua inuicem obligatis, configit. Nondò, discendum est, Christum non negare. Negat Christum, qui temporalis cuiusuis commodi emolumento inuitatus, aut timore percussus, ne fauorem, beneficium, honorem, gratiam vè amittat hominum, aut ne sustinere habeat aliqua aduersa, veritatem quando debet nō confitetur: aut à iustitia declinat, seu etiam quomodolibet peccando mortaliter, Dei præceptum, quasi Deum non cognoscendo, impugnat.

Infirmatē suam vnicuique ante oculos esse habendam.

Morandum non esse diu in peccato.

Mora in peccato quā sit periculosa.

Ambrosius. Augustinus.

Negare Christum quomysticè dicitur.

IESUS AD CAIPHAM DUCITVR. Artic. XVII.

ET misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificē principem sacerdotum, vbi omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores in vnum conuenerant.

Matth 26.
Marc. 14.
Luca 22.
Ioan 18.

HOMILIA XVII.

ANnas non diu retinuit Iesum, quoniam ipse cum non esset huius anni pontifex, auditum Iesum atq; vinctū, hoc est, tanquā mortis à se reum habitum, mittit ad Caipham, qui dolosior erat. Ducitur itaq; Dominus Iesus eo imperu, ea crudelitate, eisdemq; iniurijs, quibus ante ductus fuerat, ad Caipham. Considerandum hic, quemadmodum scribæ, seniores, pharisæiq; conuenisse dicuntur, quam acuta inter se conquirunt consilia, expectantes in domo Caiphæ Iesum adducendum. Vide etiam quam tumidè (dum nunciatur Iesus adesse) ad iram & contemptum illius excitantur, superbeque

Ductio Iesu ad Caipham quibus facta sit iniurijs.

per gyrum se collocant, atque Iesum adductum in medium statunt liuidis oculis ipsum intuentes. Nemo illi ad sedendum obrulic locum, nemo honorauit, sed vt vilissimum omnium contempserunt, atq; in sui medio statuerunt. Quam miserabile est cogitare, at videre quam multo erat miserabilius, Dominum Iesum aded respectum, aded vilem atq; facinorosum habitum, stare coram hominibus vilissimis, superbis, tumidis, & sibi inimicissimis, discutiendum, atq; iudicandum? Quam gloriabantur apud se corda superba, quod humiliatum ignominiaq; hac affectum, coram se stare videbant Dominum? Quam superbe in illum conuiciabantur, quam tumide contemnebant, quamque indignum & vilem aestimabant Iesum, quem allocutione nisi per contemptum, & iniuriosa vix dignabantur? Si Christi maiestatem attendis & humilitatem simulq; eorundem hominum facinorosorum superbiam, auaritiam & inuidiam: mirum est quomodo non compati possis ex animo Domino Iesu, qui veluti probrosus ignominiosusq; stat ante hostes suos, sibi insultantes quasi victus & in eorum manibus conclusus. Stet itaq; Iesus in concilio malignantium ante omnem sermonem alium obiurgatus, reprehensive, contemptus & exprobratus. Vide autem quantum læsus fuerit Dominus, nequitiam fraudemq; cognoscens iudicis: & quod ab eo foret iudice iudicandus, qui conatu, viribus artibusq; omnibus conabatur peruertere iudicium, opprimere innocentem, damnare iustum. Erat quidem Dominus Iesus ad omnia hæc patiens, quippe qui ad patiendum vltro venerat: nihilominus tamen quia naturæ humanæ in se habuit veritatem, lædebat cor eius: quod certè quanto tenerrimum, quanto nobilissimum, quantoq; fuit innocentissimum, tanto fraudibus, contumelijs, & id genus iniurijs alijs maxime lædebat, non ex impatientia sed ex naturæ tum veritate tum nobilitate. Ex zelo quoque offendebat reſtitutionis, quo iniustitiam impietatemq; omnem execrari cogebatur. Quamuis autem hæc omnia tanquam impia damnare, eisdemq; contraria vrgebat sentire, voluntariè tamen, etiam iuxta sensualitatem rationi plenè subiectam, omnia quæ sibi irrogabantur, amplectebatur. Neque enim virtuti derogat patientiæ, læsionem sentire, siue corporalis ea sit, siue spiritualis: quin potius maioris est indicium virtutis, augetq; meritum, læsione non lædi, hoc est, sentire quidem dolorem, non tamen dolere propter dolorem, ita vt de patientia animiq; resignatione quid minuatur. Alioquin virtutis studiosum, fore oporteret stupidum ac insensibilem, quod certè neq; laudem, neq; haberet præmium. Habet (scimus) corpus læsiones suas, habet nihilo scius animus, vnde lædatur. Itaq; quomodo affligitur corpus, ita affligitur & animus. Si quis corporis sustinere potest afflictiones, potest & animi. Intelligendum est igitur, animæ Christi, pro nobilitate naturæ innocentiaq; non minus fuisse dolorosas iniurias, quàm corpori fuere tormenta. Vtraq; tamen Christo non solum patienter, verum etiam desideranter ex amore & virtute sunt suscepta. Pari igitur modo in reliquis quoque omnibus intelligenda sunt quæcunq; (siue derisiones, siue opprobria sunt aut tormenta) Christo dicuntur fuisse molesta.

Deus vti semper præ oculis sit habendus.

Disce Deum præ oculis habere, discere eum prouidentiam omnium habere rerum & curam: discere quoq; eius bonitati confidere & inniti, & dic:
Domi-

Nequitia
Caiphe quã-
tum læsionem
Christum.

Læsionem
sentire quo-
modo non
deroget.

Iniuriæ quæ
dolorose fue-
runt animæ
Christi.